

DE  
PERSONIS FEUDUM CON-  
CEDENTIBUS, ET ACQVI-  
RENTIBVS.

CAPUT V.

**F**udiatio sine dubio est species alienationis, dum particula dominii in aliud transfertur. Ut ergo ad omnem alienationem duo subjecta requiruntur, unum, quod dare vult aliquid, & transferre in aliud, alterum, quod accipere & acquirere cupit: ita & hic ita res sese habet. Primum de dante est agendum. Hic vero *Dominus* dicitur, *I.F. 10. 11. 12. &c.* tum ob dominium directum, quod penes ipsum manet, tum & præcipue etiam ob fidem, quam primario domino debet vasallus, nec non ob reverentiam, & servitia. *Ludw. in Syn. C.V. p. 91.* Vocatur etiam *Senior*. *I.F. 17. & 18.* non quidem, quod ætate semper præcedat, vel præcedere debeat dominus vasallum, sed eadem ratione, qua dominus dicitur. Nam labente latinitate pro domino, principe, magistratum, aut potestatem gerente *seniorem* dixerunt: qua de re vid. *Eyben. C. VIII. §. 6.* ex quo etiam Gallorum, Italorum, & Hispanorum *Seigneur. Signore, Sennore* ortum ducunt. Porro a quibusdam *Patronus* dicitur: quoniam vasalli clientes vocantur, & cum libertis quandam habent similitudinem. *Rosenth. C. I. concl. n. n. 1.* Germanice *Lehn-Herr* / vel *Herr* nuncupatur. Quicunque vero alienare possunt, illi & feuda possunt dare, nulla habita sexus, dignitatis, vel conditionis ratione, nisi impedimentum, vel prohibitio specialis doceri queat. *I.F. 3. pr. I.F. 1. II.F. 3. Struv. Cap. V. tb. 2.* Illud autem hic velimus notari, de ea datione, & acquisitione, ubi

Q

feudum

*Datio feu-  
di est species  
alienationis.*

*Feudum  
dans quo-  
modo co-  
cetur?*